



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 2. Utrùm Christus, ut homo, sanctificetur etiam accidentaliter per gratiam habitualement.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

Etas infinitè per infinitam habitalem gratiam: nam appreciabilis creaturæ sanctæ, relatè ad Deum supernaturali amore amicitia diligenter, commensuratur sanctitati creaturæ illius.

3. Humanitatem Christi habere exigentiam superioris ordinis, supremo tamen Dei dominio subordinatam ad habitus supernaturales perfectiores ac perfectiores in infinitum; item habere acceptabilitatem, vel, si vis, ius superioris ordinis, sed subordinatum supremo dominio Dei, ad visionem Dei, intuitivam, perfectiorem ac perfectiorem in infinitum: item habere puritatem & impeccabilitatem simpliciter infinitam in genere puritatis & impeccabilitatis participatæ. Ratio est, quia hæc omnia sunt effectus formales sanctitatis substantialis, quam habet humanitas Christi per Verbum, sibi hypostaticè unitum, & cui proinde commensuratur. Est autem, ut probatum est, simpliciter infinita in genere sanctitatis participatæ. Ergo, &c. Sed ex occasione difficultatis ultimo loco propositæ, sit

RESPONSIO III.

Humanitas Christi per sanctitatem etiam substantialiter, quam habet à Verbo formaliter & immediatè, non est tam sancta, quam ipsum Verbum.

Prob. Nam Verbum sanctum est per se & essentialiter; pulchrum & amabile, operativum actuum divinorum, & beatum per essentiam; dignum amore summo & super omnia absolutè; secundum se & per essentiam impeccabile. Atqui horum nihil habet humanitas Christi, etiam ut per Verbum formaliter & immediatè sanctificata; nam 1. non est sancta per se & essentialiter, sed tantum per aliud, & contingenter. 2. Non est sancta necessariò & per essentiam, sed tantum per unionem, qua posset non esse. 3. Non est pulchra, & amabilis, operativa actuum divinorum, & beata per essentiam, sed solum per participationem. 4. Non est digna amore super omnia simpliciter & absolutè; nam v.g. amabilior non est humanitate alia unita hypostaticè cum persona aliqua divina, sed solum digna est amore super omnia secundum quid, seu super omnia creata alia, non sanctificata eadem substantialiter sanctitate Dei.

Obj. 1. Humanitas Christi per illud idem sancta est substantialiter, per quod sanctum est Verbum. Ergo. &c. *R. neg. cons.* Ratio est, quia illud idem, per quod utrumque sanctum est, non communicatur utrique eodem modo: divinitas enim, quæ est illud idem, per quod utrumque sanctum est, communicatur Verbo modo excellentissimo, nempe per identitatem perfectissimam; unde illud summè sanctificat; humanitati verò communicatur modo inferiori, nempe per unionem tantum; unde illam non sanctificat summè, & in supremo genere sanctificationis, sed in inferiore, nempe in genere sanctificationis participatæ.

Obj. 2. Humanitas Christi tam amabilis est, quam ipsum Verbum. Ergo, &c. *Neg. ant. Probabis.* Humanitas Christi amabilis est propter eandem bonitatem, propter quam Verbum est amabile, nempe propter bonitatem Dei. Ergo, &c. *R. neg. conseq.* Ratio negandi est, quia bonitas Dei, propter quam humanitas Christi & Verbum sunt amabilia, non tam bona est humanitati Christi, quam Verbo, eò quod excellentiori modo communicat se Verbo, quam humanitati Christi. Bonitas autem, excellentiori modo communicata, melius, & amabilius efficit id, cui sic communicatur, ut per se clarum est.

Dices. Deus eodem indivisibiliter actu diligit totum Christum, seu Verbum, & humanitatem ejus, & amor ille summus est, & super omnia absolutè. Ergo humanitas Verbi à Deo summè amatur & super omnia absolutè. Ergo tam amatur à Deo, adeoque tam amabilis est, quam ipsum Verbum. *R. neg. utramque conseq.* Ratio negandi est, quia idem ille indivisibilis actus, quo totus Christus amatur à Deo, non terminatur æqualiter ad Verbum & ad humanitatem ejus, sed est summus & super omnia

absolutè respectu Verbi, minor verò respectu humanitatis: sicut idem indivisibilis actus, quo Deus diligit creaturas propter bonitatem suam, non fertur æqualiter ad bonitatem Dei, & ad creaturas, sed est summus respectu bonitatis Dei, minor verò respectu creaturarum.

Dices iterum. Quando adoratur Christus propter excellentiam Verbi, eadem & æqualis adoratio supremæ latitæ terminatur ad Verbum & ad humanitatem ejus. Ergo quando amatur à Deo totus Christus propter bonitatem Verbi, idem & æqualis amor summus terminatur ad Verbum & humanitatem ejus. *Resp. neg. consequent.* Disparitas est, quia adoratio est cultus exterior, qui toti supposito indivisibiliter redditur: nam cultum exteriorem, quem exhibemus alicui personæ, non possumus ita parti, ut illius tantum ad animam v.g. tantum verò ad corpus terminetur; unde cum honoris causa asurgimus alicui personæ, toti personæ asurgimus.

Itaque cum adoratur Christus adoratione supremæ latitæ, hæc adoratio indivisibiliter terminatur ad totum Christum, adeoque ad Verbum & ejus humanitatem, quæ est aliquid substantiale, Verbum integrans in ratione suppositi subsistentis in duplici natura, divina & humana: sed sic terminatur indivisibiliter ad Verbum & humanitatem ejus, ut ad Verbum propter se, & ad humanitatem propter ipsum Verbum terminetur: quando enim adoro Christum adoratione supremæ latitæ ita Verbo & humanitati ejus volo eundem indivisibiliter cultum externum exhibere, ut tamen cultum illum exhibere velim utrique propter solam Verbi excellentiam, adeoque Verbo propter se, & humanitati propter Verbum: unde sic affectus adorandi ex parte rei volitæ, æqualis est respectu Verbi & humanitatis ejus, ut ex parte modi volendi sit inæqualis: quare cum adoro Christum, Verbum adorari, & humanitas ejus coadorari dicitur.

Similiter amor quo Deus diligit totum Christum, inæqualis est respectu Verbi & humanitatis ejus. Amor enim est affectus interior, ad bonum tendens, ac proinde magis tendens ad id, quod bonum magis est, minus verò ad id, quod minus est bonum, & ita æqualiter tendens ad ea, quæ inæqualiter bonitatem ad amandum moventem participant. Sic v.g. idem amor, quo Deus indivisibiliter totum hominem justum diligit propter gratiam habitalem, fertur inæqualiter ad corpus & animam illius iusti. Major enim est respectu animæ, & minor respectu corporis, quia gratia habitualis magis animam perficit, quam corpus, & ita anima bonitatem & pulchritudinem, qua Deus ad amandum hominem justum movetur, melius participat, quam corpus.

Obj. 3. Si humanitas Christi non sanctificatur summè per Verbum, magis sanctificaretur, si uniretur tribus personis. *Resp. neg. seq.* Nam tres personæ simul non sunt aliquid intensivè melius, sanctius, & amabilius, quam Verbum solum, adeoque humanitas, solo Verbo unita, tam est intensivè bona, sancta, & amabilis, quam si esset unita tribus personis. Item divinitas, quæ est sanctitas substantialis humanitatis, tam perfectè communicatur humanitati per unionem hypostaticam cum solo Verbo, quam communicaretur per unionem hypostaticam cum tribus personis. Ergo tam intensivè sanctificat humanitatem hypostaticè unitam soli Verbo, quam sanctificaret hypostaticè unitam tribus personis.

ARTICULUS II.

Utrum Christus, ut homo, sanctificetur etiam accidentaliter per gratiam habitalem.

RESPONSIO.

Christus, ut homo, habet gratiam habitalem, ac proinde ut homo, fuit etiam sanctus sanctitate accidentali per gratiam habitalem.

Ita

Ita S. Thomas hic quæst. 7. art. 1. in O. & cum eo Scholastici omnes. Ratio autem, secundum principia nostra, efficax est; quia, ut suo loco probavimus, gratia habitualis non distinguitur realiter ab habitu supernaturali charitatis; & supernaturalis eadem qualitas, quatenus est excellentissima quædam naturæ divinæ participatio, reddens animam, cui inhaeret, Deo gratam & amabilem, proportionatam supernaturali amicitiae Dei, &c. est gratia habitualis; & est habitus charitatis, quatenus reddit animam, cui inhaeret, intrinsicè & permanentè habitalem ad exercendos actus amoris Dei super omnia. Atqui humanitas Christi habet supernaturalem habitum charitatis: est enim intrinsicè & permanentè habilis ad diligendum Deum super omnia, nec talis est, aut esse potest per unionem hypostaticam, vel etiam per divinitatem, sibi unione illa communicatam, ut per se clarum est. Ergo, &c.

Quæres 1. Quare & quando gratia habitualis infusa fuerit animæ Christi?

Resp. 1. Gratia habitualis infusa fuit animæ Christi propter sanctitatem substantialem, quam habet formaliter, & immediatè à Verbo sibi unito: nam supernaturalis habitus charitatis animæ Christi infusus fuit propter ejus exigentiam: sed hanc exigentiam habuit formaliter à sanctitate substantiali, quam habet formaliter, & immediatè à Verbo sibi unito. Ergo, &c.

Resp. 2. Gratia habitualis infusa fuit animæ Christi à primo instanti creationis ejus: nam gratia habitualis infusa fuit animæ Christi intuitu sanctitatis substantialis, ut modò dictum est. Ergo anima Christi eodem instanti accepit gratiam habitualement, quo sanctitatem substantialem: sed sanctitatem substantialem accepit in primo instanti creationis suæ. Ergo, &c. *Nota.* Divinitas dupliciter se habet ad gratiam habitualement Christi. 1. Enim se habet ad illam ut formam, vel quasi formam exigentia illius, sub quo respectu est sanctitas substantialis Christi. 2. Habet se ad illam ut principium illius effectivum, quo modo habet se ad omnia alia opera ad extra.

Quæres 2. Utrum gratia habitualis animæ Christi infusa, actu sit infinita?

Resp. Gratia habitualis actu infinita, vel possibilis est, vel non. Si primum, Christus habet gratiam habitualement actu infinitam. Si secundum, ut probabilius est, & ut probabilius hic tenemus, Christus habet gratiam habitualement finitam simpliciter.

Quæres 3. Utrum gratia habitualis, animæ Christi infusa, potuerit augeri?

Resp. 1. Gratia habitualis infusa animæ Christi, augeri potuit de potentia absoluta: illam enim gratiam augeri non repugnat ex parte ipsius, cum sit simpliciter finita; nec ex parte subjecti, cum anima Christi capacitatem habeat obedientialem ad gratiam intensiorem, & intensiorem in infinitum. Quare si gratia habitualis data est Christo in tali mensura, seu tanta, & non major; non sic data est, quia major dari non potuit, aut quia anima Christi non fuit capax majoris gratiæ, aut quia sanctitas substantialis Christi exigebat gratiam tantæ intensificationis, & non majoris; sed quia cum non potuerit dari actu infinita, Deus dare voluit in tali mensura, & non in alia.

Resp. 2. Gratia habitualis infusa animæ Christi, augeri non potuit de potentia ordinaria: nam quod Deus statuit non augeri, augeri non potest de potentia ordinaria. Sed Deus statuit non augeri gratiam habitualement Christi, & statim propter sanctitatem substantialem ei à primo instanti conceptionis totam gratiam habitualement dedit, quam ei dare decreverat. Ergo, &c.

Quæres 4. Utrum Christus ut homo, habuerit plenitudinem gratiæ?

Resp. Christus ut homo, habuit triplicem plenitudinem. Nam 1. habuit plenitudinem divinitatis: divinitas enim se totam humanitati Christi communicavit per unionem hypostaticam. 2. Habuit ple-

nitudinem sanctitatis substantialis: nam humanitas Christi, ut probatum est, per divinitatem sibi communicatam sanctificata est infinite in genere sanctificationis participatæ. 3. Habuit plenitudinem sanctitatis accidentalis: Christus enim ut homo, abundavit gratia habituali, & aliis donis supernaturalibus.

Quanta porrò fuerit hæc abundantia, certò definiti non potest. Pro indubitato tamen statuendum est, humanitati Christi infusam esse gratiam habitualement, cum aliis supernaturalibus donis, quæ esset in æstimatione morali, alicujus saltem momenti, respectivè, 1. ad sanctitatem substantialem, propter quam humanitas Christi digna erat gratia habituali, aliisque donis supernaturalibus, intensioribus, ac intensioribus in infinitum. 2. Ad amorem benevolentiae, super omnia alia creata appetitativum, quo Deus humanitatem Christi prosequitur. 3. Ad infinitam excellentiam suppositi, nempe Verbi, cujus est hæc humanitas; imò & ad infinitam dignitatem ac munificentiam Dei Patris, unigenitum, quem super omnia absolute, ac summè diligit, Filium in ipsius humanitate gratificantis: ex quibus facillè conjicimus, gratiam habitualement, & alia dona, Christo ut homini infusa, secundum intensionem longè superare gratiam habitualement, & alia dona supernaturalia omnium hominum & angelorum sanctorum, simul sumptorum.

Quæres 5. Utrum plenitudo gratiæ sit propria Christi, ita ut nullus alius præter ipsum habeat, vel habuerit gratiæ plenitudinem?

Respondet S. Thomas hic quæst. 7. art. 10. in O. plenitudinem gratiæ posse attendi dupliciter: uno modo ex parte ipsius gratiæ, alio modo ex parte habentis gratiam. Ex parte quidem ipsius gratiæ, dicitur esse plenitudo gratiæ, ex eo quod aliquis pertingit ad summum gratiæ, & quantum ad essentiam, & quantum ad virtutem, quia scilicet habet gratiam & in maxima excellentia, qua potest haberi, & in maxima extensione ad omnes gratiæ effectus: & talis gratiæ plenitudo est propria Christo. Ex parte vero subjecti gratiam habentis, esse dicitur gratiæ plenitudo, quando quis habet plenè gratiam secundum suam conditionem, sive secundum intensionem (Dei) prout in eo est intensa gratia usque ad terminum præfixum à Deo sive etiam secundum virtutem, in quantum scilicet habet facultatem gratiæ ad omnia, quæ pertinent ad suum officium, sive statum & talis gratiæ plenitudo non est propria Christo, sed communicatur aliis per Christum.

Plenitudo gratiæ, hoc secundo modo sumpta, fuit in B. Virgine, ut ait sanctus Doctor ad primum: Dicendum, inquit, quod beata Virgo dicta est plena gratia, non ex parte ipsius gratiæ, quia non habuit gratiam in summa excellentia, qua potest haberi, nec ad omnes effectus gratiæ; sed dicitur fuisse plena gratia, per comparationem ad ipsam: quia scilicet habebat gratiam sufficientem ad statum illum, ad quem erat electa à Deo, ut esset scilicet Mater Unigeniti ejus.

Similis plenitudo gratiæ fuit quoque in Stephano Protomartyre, ut observat ibidem sanctus Doctor: nam sic prosequitur: Similiter Stephanus dicitur plenus gratia: quia habebat gratiam sufficientem ad hoc, quod esset idoneus minister; & testis Dei, ad quod erat electus. Nec solum in Stephano plenitudo illa reperitur, sed etiam in aliis, ut in Apostolis, & aliis Sanctis, in quibus tamen omnibus, ut hic notat S. Thomas, non est eadem, & æqualis: Harum, inquit, plenitudinum una est plenior altera, secundum quod aliquis est divinitus præordinatus ad altiore, vel inferiorem statum.

Quæres 6. Utrum Christus, ut homo, habeat amorem Dei actu infinitum?

Resp. Non habere, cum non habeat charitatem infinitam, sed finitam in intensione. Attamen quia charitas habitualis, quam habet Christus, superat in intensione habitus charitatis omnes omnium hominum

num & angelorum, collectivè sumptos, Christus, ut homo, intensius diligit Deum, quàm homines & angeli omnes simul sumpti, cum semper tam intensè, quàm potest, operetur.

Quæres 7. Utrum Christus, ut homo, habuerit virtutes?

Nota. Virtutes duplicis generis sunt: nam aliæ dant simpliciter posse: unde se habent ad modum potentiarum, nec possunt acquiri per actus repetitos; & idè dicuntur per se infusæ, quia aliter quàm per infusionem haberi non possunt. Aliæ verò non dant posse simpliciter, sed tantum posse facilius, & per actus repetitos acquiri possunt: unde dicuntur acquisitæ. Quod si quando à Deo infundantur, dicuntur infusæ per accidens. Hoc supposito,

Resp. 1. Christus, ut homo, omnes habet virtutes per se infusæ, tum theologicas, tum morales, excepta fide, & fortasse etiam pœnitentia. Ratio est, quia Christus, ut homo, fuit intrinsecè & permanentè habilis ad exercendos actus virtutum omnium supernaturalium, qui non habent imperfectionem aliquam, cum statu unionis hypostaticæ repugnantem. Atqui tales sunt virtutum omnium supernaturalium actus, excepto actu fidei, & fortasse actu omni pœnitentiæ. Ergo, &c.

Dixi 1. Excepto actu fidei: nam actus fidei est assensus obsecutus, datus propter revelationem obscurè cognitam. Atqui assensus obsecutus, & revelatio obscurè cognita, statui unionis hypostaticæ repugnant. Ergo actus fidei cum unionem hypostaticam repugnat, Ergo Christus, ut homo, non habuit actum fidei, adeoque nec fidei habitum, utpotè inutilem.

Rectè tamen dicitur Christus, ut homo, habere supernaturalem habitum piæ credulitatis, quæ nihil aliud est, quàm voluntas se submittendi Deo obscurè revelanti. Hanc autem voluntatem haberi à Christo, ut homine, nihil vetat, & apertè significat S. Thomas hic qu. 7. art. 3. in O. in resp. ad 2. ubi ait: *Meritum fidei consistit in hoc, quod homo ex obedientia Dei assentit illis, quæ non videt.... obedientiam autem ad Deum plenissimè habuit Christus.*

Dixi 2. Excepto fortasse omni actu pœnitentiæ: nam si per actum omnem pœnitentiæ non possumus veritari, nisi circa peccata propria, omnis actus pœnitentiæ repugnabat Christo, utpotè impeccabili: at fortasse nullus actus pœnitentiæ versari potest, nisi circa peccata propria. Ergo, &c.

Dices. Saltem Christus non habuit supernaturalem habitum spei. *Resp. neg.* Nam ille habitus inutilis non fuit in Christo: potuit enim Christus exercere actus aliquos habitus supernaturalis spei, licet non potuerit omnes. Pro quo,

Nota. Spei theologice actus quadruplex est circa Deum, & visionem ejus intuitivam, nempe amor, desiderium, spes, & gaudium. Christus autem, ut homo, non potuit quidem habere actus desiderii & spei circa Deum possidendum, & visionem qua possideretur, quia non desideramus, nec speramus, nisi bonum abiens; & Christus à primo instanti conceptionis, Deum per visionem possedit: at potuit habere, & habuit actus amoris & gaudii circa Deum possessum, & visionem qua possideretur, quia & amavit, amore scilicet concupiscentiæ, Deum quem possidebat, ut summum bonum suum, & ipsam visionem, ut id quo summum bonum suum possidebat. Item gavius est Deo amato, & possessio, ejusque amore & possessione.

Resp. 2. Christus, ut homo, habuit etiam virtutes, quæ dicuntur acquisitæ, & habuit per infusionem à primo instanti conceptionis suæ. Non enim solum potuit exercere virtutum omnium actus, non habentes imperfectionem, cum statu unionis hypostaticæ repugnantem, sed etiam faciliè potuit. Ergo non tantum habuit habitus, quibus posset, sed etiam habitus, quibus faciliè posset actus illos exercere. Præterea, quod habuerit à primo instanti conceptionis suæ, probatur, ex eo, quod à primo illo instanti totam facilitatem habuit, quam in toto vitæ

mortalis decursu per actus suos acquirere potuisset: hoc enim exigebat ejus dignitas.

Quæres 8. Utrum Christus, ut homo, habuerit dona Spiritus sancti?

Nota. Septem sunt Spiritus sancti dona, quorum quatuor ad intellectum pertinent, nempe sapientia, scientia, intellectus, & consilium: tria verò alia pertinent ad voluntatem, nempe timor, pietas, & fortitudo. Hoc supposito,

Resp. Christus, ut homo, habuit dona omnia Spiritus S., ut probatur, 1. Ex Scriptura. Nam Isaias cap. 11. dicit de Christo: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientie, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientie & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* 2. Ex S. Thoma hic quæst. 7. art. 5. in O. ubi sic argumentatur: *Dona propriè sunt perfectiones quadam potentiarum animæ, secundum quod sunt nate moveri à Spiritu sancto. Manifestum est autem, quod anima Christi perfectissimè à Spiritu sancto movebatur: secundum illud Luc. 4. Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Jordane, & agebatur à Spiritu in desertum: Unde manifestum est, quod in Christo fuerint excellentissima dona. Quod etiam demonstratur ex eo quod Christus, ut homo, fuerit excellentissimè sanctus.*

Dices. Non fuit timor Dei in Christo. *Resp.* Non fuisse in Christo timorem servilem, sed filialem, qui fuit affectus quidam reverentia, conceptus ex consideratione infinitæ majestatis divinæ: *Dicendum*, inquit S. Thomas hic quæst. 7. art. 6. in O. *quod in Christo fuit timor Dei, non quidem secundum quod respicit malum separationis à Deo per culpam; neque etiam secundum quod respicit malum punitionis pro culpa; sed secundum quod respicit ipsam divinam eminentiam, prout scilicet anima Christi quodam affectu reverentia movebatur in Deum, à Spiritu S. acta: Unde Hebr. 5. dicitur, quod in omnibus exauditus est pro sua reverentia: hunc enim affectum reverentia ad Deum Christus, secundum quod homo, præ cæteris habuit plenior; & idè ei attribuit Scriptura plenitudinem timoris Domini.*

Quæres 9. Utrum Christus, ut homo, habuerit gratias gratis datas.

Nota. Gratia gratis data novem sunt, nempe sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanctorum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, & interpretatio sermonum. Hoc supposito,

Resp. Christus, ut homo, habuit, & quidem in excellentissimo quodam gradu, gratias omnes gratis datas. Quod sic probat sanctus Thomas hic qu. 7. art. 6. in O. *Gratia gratis data ordinatur ad fidei & spiritualis doctrinæ manifestationem. Oportet autem eum, qui docet, habere ea, per quæ sua doctrina manifestetur; alias sua doctrina esset inutilis. Spiritualis autem doctrinæ & fidei primus, & principalis Doctor est Christus..... unde manifestum est quod in Christo excellentissimè fuerint omnes gratia gratis data, sicut in primo, & principali fidei Doctore.*

Dices 1. Christus non habuit fidem. *Resp. disting.* Non habuit fidem theologicam, quæ consistit in assensu obscuro, propter revelationem obscurè propositam, & cognitam, C. Non habuit fidem, quæ est gratia gratis data, N. Nam hæc fides aliud nihil est, quàm facultas res fide divina credendi, accommodatè proponendi ac captum omnium, etiam rudiorum; quam facultatem, & quidem in excellenti gradu, proculdubio Christus habuit.

Dices iterum. Saltem Christus non habuit prophetiam. *Resp.* Hoc esse falsum, ut patet ex Scriptura, in qua Christus vocatur Propheta: nam de eo dicitur, Deuter. cap. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* Et Luc. cap. 7. *Propheta magnus surrexit in nobis.* Ratio autem est, quia prophetia, ut sic, nullam involvit imperfectionem: nam, ut obier-